

occulte haereticus eandem retinet auctoritatem quam prius habebat suo officio adnexam: nam illam tunc amittit cum haeresim incipit praedicare. Sic enim Caelestinus epist. XIV. ad Clerum et populum Constantin. (Gallandi Tom. IX). « Aperte sedis nostrae sanxit auctoritas nullum sive episcopum sive clericum, seu professione aliqua christianum, qui a Nestorio vel eius similibus, *ex quo talia praedicare coeperunt*, vel loco suo vel communione deiecti sunt, vel eiectum vel excommunicatum videri, ... quia neminem vel deicere poterat qui talia praedicans firmus non stabat. » Quod et Nicolaus I epist. VIII ad Michaellem Imp. confirmat. Ex quo licet sic arguere: sensus Ecclesiae est Episcopum nisi manifeste haeresim doceat, sua iurisdictione potiri, vereque habendum esse ut Episcopum; igitur reapse Episcopus licet occultus haereticus, iurisdictionem propriam sui officii habet vereque est caput suae Ecclesiae: atqui qui caput est Ecclesiae particularis, est vere eius membrum, membrum Ecclesiae totius: ergo.

Et sane id postulari videtur ab ea oeconomia quam Christus Ecclesiae suae praestituit in parabola zizaniorum (Matth. XIII, 29) prohibens colligi zizania, ne forte simul cum iis eradicetur et triticum. Scilicet ii non sunt ab Ecclesia eiiciendi habendique ut extorres ab ea, quibus eiectis vel habitis ut alienis, ii quoque qui vere Ecclesiae membra sunt, periclitarentur haberi extorres ab Ecclesia: quod quidem contingeret cum ad hoc ut quis in Ecclesia sit, requireretur elementum interius et occultum: sic enim de nullo constare certe posset quod sit in Ecclesia. Unde et Augustinus in Psalmo contra partem Donati ita Ecclesiam inducit loquentem: « expello malos quos possum, quos non possum cogor ferre, fero illos donec sanentur aut reparentur in fine. » Ratio autem certe praestitit huic ecclesiasticae oeconomiae: « Est ratio (De fide et operibus c. 3) dissimulandi et tolerandi malos in Ecclesia, et est rursus ratio castigandi et corripiendi, non admittendi, vel a communione removendi. » Quenam porro huiusmodi ratio? Ecclesiae pax: subdit enim cap. seq. « nos vero ad sanam doctrinam pertinere arbitramur ut et canes in Ecclesia propter pacem Ecclesiae toleremus, et canibus sanctum, ubi pax Ecclesiae tuta est, non demus. » Haec vero ratio quoad suam amplitudinem sumpta probat haereticos occultos habendos esse ut Ecclesiae membra; magna enim dissensionum causa existeret, si certum esset huiusmodi haereticos esse extra Ecclesiam; facile enim mali hinc occasionem arriperent detrectandi obedientiam praepositis dicentes eos forte haereticos esse; et cum hi oppositum probare non valerent quia factum est internum non necessario nexum cum actibus externis, dissidiis talibus non liceret certo et ir-

refragabili modo finem imponere, quod tamen pro pace Ecclesiae necessarium est.

Idem demonstrari potest ex 1<sup>o</sup> Ioan. II, 18. 19. Loquitur ibi Apostolus de haereticis, appellat enim eos antichristos: appellatio autem haec et proprie haereticis competit, et in hac epistola iis fit qui fidei adversantur. Iam de his dicit: ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis; nam si fuissent ex nobis permansissent utique nobiscum. Quibus in verbis duo de haereticis dicuntur, et quod *exierint ex nobis*, et quod *non erant ex nobis*. Porro hoc alterum verum esse debuit antequam exirent: nam dicitur *non erant*, non dicitur *non sunt*: et sane opponuntur adversative ( $\alpha\lambda\lambda\alpha$  sed) *exiisse ex nobis*, et non *fuisse ex nobis*: si vero haec negatio tunc vera fuisset cum exierunt, nulla esset oppositio. At qui exit ab aliquo prius in eo est: ergo utrumque verum erat antequam exirent, quod non erant *ex nobis*, quod diserte affirmatur, et quod *erant ex nobis* quod aequivalenter affirmatur cum dicuntur *exiisse*. Per ea autem verba *exierunt ex nobis* significari secessionem a coetu in quo prius erant liquet ex ipsa antithesi instituta verbis sequentibus: *sed non erant ex nobis*. Iam vero ratio cur *non erant ex nobis* nequit esse sola praedestinatio quae ipsis defecerit; nam primo si ita est, ut illud affirmaretur oportuit Ioannem nosse eos de quibus loquebatur non esse praedestinos; id autem non nisi ex revelatione nosse poterat, neque enim id sequitur ex eo quod quis nunc haereticus sit et ab Ecclesia secedat; potest enim redire et sic salvari: at probabile ne est id ex revelatione novisse Apostolum praesertim cum non de uno aut altero determinate, sed indiscriminatim de omnibus tunc temporis haereticis loquatur, et quidem eo modo loquatur qui valere potest pro omnibus haereticis ab Ecclesia in posterum quoque exituris, quemadmodum eius verba a Patribus accipiuntur? Rursus praedestinatio sola nihil ponit in praedestinato: ratio autem cur aliquis qui christiano nomine censetur non sit ex nobis, debet esse aliquid realiter in ipso, vel defectus alicuius realitatis seu perfectionis debitae. Atqui cum Ioannes de haereticis loquatur, nequit esse alia ratio quam haeresis. Haeresis autem antequam exeant, est occulta, ipsa enim manifesta professione haeresis se separant prorsus ab Ecclesia. Itaque in haereticis occultis utrumque verum est quod *sunt ex nobis*, et *non sunt ex nobis*. Atqui id verum esse non potest nisi aliqua vera ratione adhuc spectent ad Ecclesiam, quatenus scilicet etsi non sint ex nobis animo ac voluntate (sic enim permanerent), sunt tamen ex nobis externa professione et communione sacramentorum: ergo. Id Augustinus confirmat Tract. LXI in Ioannem n. 2, inquit « utrumque

verum est et *ex nobis* et *non ex nobis*, secundum aliud ex nobis, secundum aliud non ex nobis, secundum communionem Sacramentorum ex nobis, secundum suorum proprietatem criminum non ex nobis. » Porro Augustinus ibi de haereticis quoque loquitur, ut liquet numerum 1<sup>m</sup> conferenti: esse autem e sententia Augustini eos in Ecclesia qui nobis sacramentorum communione sociantur patebit ex dicendis deinceps.

Et sane falsum est huiusmodi homines solum apparenter esse in Ecclesia, quibusdam enim vinculis cum ea nectuntur quae sufficiunt ad eos constituendos membra Ecclesiae. Nam Ecclesia est essentialiter societas quae ex ministerio a Christo instituto eique aliorum subordinatione coalescit, et est essentialiter visibilis; porro vincula, quibus colligantur visibiliter illa duo, sunt externa obedientia, externa professio fidei, et communicatio sacramentorum, haec essentialia sunt ut sit societas, neque negari potest his existentibus societatem veram visibilem haberi; nec sane Ecclesia aliud postulat ut aliquem censeat ad se pertinere: atqui haereticus occultus haec omnia praestat, ergo haec sufficiunt ut Ecclesiae membrum constituatur; ad id enim sufficiunt ea quae aliquo vero modo ipsum copulant cum corpore hoc quod est societas. Neque enim ut aliquid sit membrum corporis opus est ut perfectionem omnem obtineat quae in aliquibus praestantioribus membris reperitur. Neque verum est haereticum occultum non esse ullo modo membrum vivum huius corporis: nam ut iam diximus, vita propria huius corporis socialis sita est in subordinatione legitimo regimini quam haereticus occultus aliqua vera ratione retinet cum libere profiteatur fidem quam magisterium Ecclesiae docet, ac subsit legitimo regimini: fides vero interior sicut et gratia proprie sunt anima singulorum, ac sunt ea bona quae in Ecclesia et per Ecclesiam acquirimus, non ea quibus Ecclesiae membra necessario constituamur.

Praeterea advertendum est quod Ecclesia est quidem fidelium coetus, at ex more loquendi veterum fideles non ii dicuntur qui tantum credunt, sed qui sollemni ritu, sacramento nempe fidei suscepto fidem profitentur; quocirca catechumenis negata est generatim talis appellatio. Scilicet in hac appellatione tribuenda potissimum ratio habita est exterioris sollemnis professionis fidei, qua proinde permanente, potest manere licet imperfecte appellatio eadem.

Dices: nonne fides necessaria ostenditur ex parte causae materialis huius coetus eo quod fideles lapides vivi sunt ex quibus Ecclesiae domus spiritalis aedificatur, teste Augustino Tract. VI. in Ioannem (1. Petri II. 2)? Respondeo quod appellatio lapidum vivorum, quae fit a Petro fidelibus, potest dupliciter accipi: a) in oppositione

ad id a quo metaphora ducitur, quatenus nempe lapides, ex quibus domus Ecclesiae aedificatur, sunt homines viventes: b) ratione vitae christianae: et hoc rursus dupliciter: vel enim intelligitur exterior vita posita in professione fidei, vel interior; et haec iterum duplex, vel completa, vel incompleta. Iam vero prior interpretatio per se sufficit ut metaphora haec vera sit: sententia autem Petri ea esse videtur ut consideret fideles secundum id quod esse debent, proponens eis finem cur accesserint ad Christum lapidem vivum: quapropter hortatur eos ut deponentes omnem malitiam, omnem dolum, simulationes, detractiones, invidias, rationabile sine dolo lac concupiscant, ut decet modo genitos infantes (vv. 1. 2).

Ad argumentum vero desumptum ex verbis Pii IX superius recitatis respondemus censendum non esse voluisse Rom. Pontificem iis verbis, quae ad definitionem non spectant, finire quaestionem inter Theologos an haeretici occulti sint adhuc membra Ecclesiae, suamque probabilitatem detrahere sententiae Bellarmini aliorumque qui eum sequuntur: idcirco vel locutus est obiter secundum quamdam sententiam Theologorum, relicta alteri sua probabilitate, vel *defectio ab unitate Ecclesiae*, de qua ibi sermo est, accipienda est secundum interiorem actum animique dispositionem.

Itaque quoniam Christus voluit Ecclesiam suam esse certe visibilem, socialemque pacem in ea esse tutam, quod parabola zizaniorum satis significavit, censendus est quoque voluisse ut qui haeretici solum occulti essent, membra adhuc Ecclesiae haberentur licet imperfecta et imperfectiora ceteris.

V. His statutis de fidei interioris necessitate, iam praeindicata est quaestio de necessitate iustitiae pro constituendo Ecclesiae membro. Verum haec suis propriis argumentis tractari et solvi potest: atque idcirco proferenda ea sunt.

Damnatae sunt a Clemente XI propositiones Quesnelli a 72-78 quibus asseritur Ecclesiam solis iustis constare: eademque doctrina declarata est haeretica a Pio VI in Bulla *Auctorem Fidei* prop. 15. Argumentum princeps ex traditione suppeditat disputatio catholicae Ecclesiae, cuius partes agebant Episcopi Africani, cum Donatianis.

Donatianos quidem praeiverant Novatiani, qui lapsos ab Ecclesia alienos esse volebant (Cf. Pacianum epist. III ad Sympron. n. 3). Subsecuti sunt Pelagiani qui ex solis perfectis in iustitia Ecclesiam coalescere docebant (Cf. Augustinum de Haeresibus n. 88). Verum omnes iis argumentis profligantur quibus Donatiani. Donatiani itaque non omnes peccatores a dignitate membrorum Ecclesiae repellebant, sed illam negabant omnibus peccatoribus manifestis, concedentes peccatores occultos quemadmodum pisces malos in sagena ad Ecclesiam

adhuc spectare. Liquet ex Collatione habita inter eos et Episcopos catholicos, et ex Augustino qui frequenter, ut in libris de baptismo, argumentatur ad hominem ex eo doctrinae capite contra eosdem haereticos. Hancque limitationem postulabat eorum principium nempe communionem cum malis illicitam esse, communicatur enim et consensus veluti praebetur peccatis eorum; illaque communionem vitari Ecclesiam (quod et Novatiani contenderant. Lege Pacianum ep. ad Sympron. III. n. 3); communio vero cum malis illicita esse nequit nisi mali cognoscantur. Hinc Donatiani Ecclesiam visibilem tuebantur, eamque esse dicebant, quae erat tum quidem tantum ex parte Donati, prius autem fuerat in universo orbe. Catholici vero tuebantur ne dum occultos malos, sed et manifestos spectare seu spectare posse ad Ecclesiam, h. e. non eo ipso quod quis peccat sive occulte sive manifeste, extorrem fieri ab Ecclesia. Fieri scilicet potest ut peccatum quoddam, puta haeresis aut schisma, alienum faciat peccatorem ab Ecclesia; fierique potest ut quaedam graviora peccata digna sint quae poena separationis seu excommunicationis plectantur: at generatim fideles cum peccant (intelligimus peccatum lethale), etsi peccatum publice fiat, non eo ipso desinunt esse Ecclesiae membra. Hoc probabant vero auctoritate Scripturarum et traditionis provocantes potissimum ad Cyprianum cui multum Donatianos et collatione citata. Quocirca certum est doctrinam hanc esse ab Ecclesia publice seculo V propugnatam: Scripturarum auctoritate et praecedentis Ecclesiae consensu tenendum esse quod Ecclesia non ex solis iustis coalescit, quod peccatores quoque membra Ecclesiae sunt, nec iustitia est conditio necessario postulata ut quis sit membrum Ecclesiae. Hinc Fulgentius de Fide ad Petrum c. 43. « Firmissime tene et nullatenus dubites aream Dei esse catholicam Ecclesiam, et intra eam usque in finem saeculi frumento mixtas paleas contineri. In fine vero saeculi bonos a malis etiam separandos. » Nimirum, ut ait Gregorius M. in Evangelia hom. 28. « Boni soli nusquam sunt nisi in caelo, et mali soli nusquam sunt nisi in inferno. Haec autem vita, quae intra caelum et terram sita est, sicut in medio subsistit, ita utrumque partium cives communiter recipit, quae tamen sancta Ecclesia nunc indiscrete suscipit, et postmodum in separatione et fine mundi discernet. »

Et sane ex parabola zizaniorum (Matth. XIII, 24-30, 36-43) discimus quod usque ad finem mundi simul cum filiis regni qui fulgebunt sicut sol in regno Patris sui, commixti erunt mali qui in caminum ignis mittentur, atque ita commixti erunt ut haec commixta societas ipsa sit Ecclesia militans in terris, ad quam proinde

veluti membra tum boni tum mali pertineant. Nam licet ager, in quo bonum semen et zizania seminantur, sit interprete Christo mundus, tamen ipsa commixta seges boni seminis et zizaniorum repraesentat Ecclesiam; etenim regnum caelorum quod est Ecclesia huic toti assimilatum exhibetur quod ea parabola refertur, nempe bono semini et malo. Id ex eo patet quod huic toti (etsi ex parte in obliquo expresso, quod et in aliis parabolis fieri solet) assimilatum est a Christo regnum caelorum, et quia diserte in fine explicationis eius dicitur a Christo quod omnia scandala et ii qui faciunt iniquitatem colligentur de regno filii hominis ab Angelis in fine mundi. Quae Christi parabola non statuitur utique necessitas ut mali sint in Ecclesia, sed statuitur primo factum quod simul erunt usque in finem mundi: secundo statuitur ius, Ecclesiam scilicet ex Christi institutione non postulare ut ex solis iustis constet; imo exigere ut seges quoque mala, si adsit, sinatur cum bona crescere usque ad messem h. e. usque ad finem mundi, ne bona seges et ipsa Ecclesia funditus pereat. Idem colligere licet ex parabola saganae ibid. 46-50.

Iam vero heic non fit distinctio inter malos occultos et manifestos, sed communiter omnes comprehenduntur, et utrique certe separabuntur in fine; ii porro indiscriminatim colligendi dicuntur e regno: ergo Christo auctore peccatores etiam manifesti non sunt quia tales ab Ecclesia alieni.

Praeterea constat factam esse a Christo Ecclesiae suae potestatem remittendi peccata; atqui certum est sacramentorum ius non iis competere qui sunt extra Ecclesiam, neque iis posse legitime conferri. Igitur potestas ea sacramentalis facta Ecclesiae supponit peccatores qui indigent absolutione esse in Ecclesia; ergo. Dices absolvi quoque peccatum haeresis publicum, quamvis per illud quis ab Ecclesia separetur; ergo non recta est consequentia argumenti. Respondeo quod non datur absolutio nisi prius abiurata sit haeresis, ut sic iam peccator ad unitatem Ecclesiae redierit veram fidem habens: fides enim necessaria est dispositio pro sacramento suscipiendo: at non requiritur quod status gratiae habeatur ut absolutio detur.

Et sane fideles quamvis peccatores adhuc pertinent ad Ecclesiam prout sociale corpus est non secus ac iusti. Illi enim spectant ad Ecclesiae societatem qui cohaerent et subsunt auctoritati Ecclesiae docenti, regenti, sanctificanti, qui proinde eandem profitentur fidem, quam ea auctoritas docet, eandem reverentur potestatem, quam ea auctoritas exercet, iisdem communicant sacramentis, quae ab ea auctoritate dispensantur: huc autem redeunt omnia vincula quibus corpus Ecclesiae compaginatur. Atqui per peccatum (nisi sit haeresis aut schisma) nullum ex his vinculis rumpitur; neque per solam ino-

bedientiam erga Ecclesiam, si quando hac in re peccetur, tollitur subordinatio superiori, sed solum exercitium aliquod eiusdem. Cum quis autem manet iisdem vinculis nexus cum societate ac nectebatur prius, atque iisdem ac nectuntur ceteri, is vere spectat ad societatem: ergo non obstante peccato fideles peccatores pertinent vere ad Ecclesiae societatem, vitamque eam socialem vivunt, cuius formale principium diximus esse auctoritatem.

Ad animam quoque Ecclesiae qua singillatim membra vivunt, pertinent fideles peccatores, sed imperfecte. Retinent enim adhuc fidem, et nisi contra spem peccaverint, etiam spem: fides autem est vita interior inchoata: vivunt ergo adhuc peccatores quadam interiore vita, licet incompleta: completa enim et perfecta vita est per caritatem et gratiam sanctificantem. Ergo iusti qui gratia hac praediti sunt spectant perfecte ad animam Ecclesiae, peccatores imperfecte, h. e. ii vivunt vitam interiore perfectam, hi imperfectam: non opus est autem ut omnia membra eodem perfectionis gradu vitam ab anima participant.

At nonne Ecclesia est essentialiter sancta sine macula et ruga, iis constans in quorum visceribus scripta sit lex caritatis? Respondeo quod Ecclesia essentialiter sancta est, et quidem multiplex ex capite, quia sancta est eius institutio, sancta eius doctrina, sancta lex, principiumque est sanctificans et causa sanctitatis; ac sub istis rationibus quibus essentia ipsa Ecclesiae constituitur, ea non habet maculam aut rugam. Sanctitas autem interior omnium singulorum membrorum non est ei essentialis; ut iam demonstratum est, et in obiectione supponitur. Si autem dicatur quod essenziale est Ecclesiae ut sanctos aliquos semper habeat, illud *essentiale* potest accipi dupliciter: a) quatenus significat id quod ad intrinsecam Ecclesiae constitutionem necessario spectat: b) quatenus significat id quod Deus vult actu semper esse in Ecclesia: hoc autem non necessario est id quod pertineat ad intrinsecam Ecclesiae constitutionem; sed potest esse id quod ad modum finis sit perfectio Ecclesiae, quam perfectionem penitus deesse Christus noluerit. Sane et charismata esse in Ecclesia debent ex voluntate et promissione Christi: at perperam exinde colligeres ea ad intrinsecam et essentialem Ecclesiae constitutionem spectare. Porro hoc altero tantum sensu concedere possumus essentialem esse Ecclesiae huiusmodi sanctitatem. Id praeter argumenta allata ex eo quoque probari potest, quod huiusmodi sanctitas non habet ullum subiectum determinatum: ea vero quae spectant ad intrinsecam Ecclesiae constitutionem, licet non omnibus communia ut potestas ordinis et iurisdictionis, habent subiecta determinata. Verba autem Ieremiae ad quae respicitur in obiectione, eo spectant ut declarent

indolem novi Foederis prae vetere: indoles porro haec Ecclesiae constat, cum in ea est potestas effectiva bonorum eorum supernaturalium, et in ea ac per eam Deus paratus est eadem conferre hominibus. Verba autem Apostoli (Ephes. V, 22) cum ad Ecclesiae membra referuntur non significant Ecclesiam quae nunc est, sed quae praeparatur ut sit (Augustinus *Retract. L. II. c. 18.*)

Cur ergo dicuntur peccatores membra mortua? membra enim mortua non sunt membra nisi aequivoce, h. e. non membra vera; unde videtur quod peccatores non sint vere membra Ecclesiae. Respondeo appellationem hanc fieri peccatoribus respectu animae quae est in singulis principium vitae, et quidem respectu perfectae vitae quae est per caritatem. Ceterum, ut iam monuimus, si peccatores comparentur ad hanc visibilem societatem, eiusque essentialia constitutiva, ii non sunt membra mortua, sed vivunt hanc vitam socialem sicut ceteri: si vero comparentur ad id quod est finis huius societatis, quodque est principium vitae supernaturalis in membris, peccatores destituti hac vita sunt membra mortua, non tamen prorsus, nam imperfecte vivunt; unde a quibusdam melius dicuntur semimortua (cf. A Lapide in 2. Tim. II. 20).

Nihil vero repugnat quod iidem homines sub diverso respectu et membra sint Christi, et membra Diaboli. « Illi qui sacramenta habent et bonos mores non habent, et Dei dicuntur et non Dei: et eius dicuntur et alieni: eius propter sacramentum, alieni propter vitium » (August. in Psal. XLVII, n. 8). Hinc mali, licet simpliciter non sint filii Dei, quia gratia sanctificante carent, quodam tamen imperfecto modo, ratione generationis et ratione doctrinae, quam audiunt, dici possunt filii Dei; licet degeneres et mali sint ratione imitationis et peccati secundum quod sunt filii diaboli (cf. Bellarmin. *ibid.*).

VI. Reliqua est difficultas ex sententia Augustini. Ipse enim docet in corpus et membra Christi non coaedificari nisi bonos (De Unitate Ecclesiae c. 21); videri quidem malos esse intus, sed esse reapse foris (De Bapt. L. IV, c. 3. L. VI, c. 2); esse vero illos in Ecclesia, sicut sunt mali humores in corpore (in Epist. Ioan. Tract. III); non posse Christum habere membra damnata, eos scilicet qui propter malam pollutamque conscientiam damnati a Christo sunt (cont. Crescon. L. II, c. 21); potestatem propterea administrandi Sacramenta et generatim potestatem ligandi atque solvendi factam esse a Christo bonis, non malis (De Bapt. L. VII, cc. 12. 51. L. VI, cc. 3. 24.) malos nempe non esse in petra supra quam est aedificata Ecclesia (*ibid.* et De Unit. Eccles. c. 18); Ecclesiam sane esse columbam castam, pudicam, sine macula et ruga; ad quam nequeunt mali perti-